

Lateinische Lektüreübung III/M.Ed. (Faller)
Sommersemester 2026

Hygini fabulae, ed. H. J. Rose, 1933:

XXX. HERCVLIS ATHLA DVODECIM AB EVRYSTHEO IMPERATA.

1 Infans cum esset, dracones duos duabus manibus necavit, quos Iuno miserat, unde primigenius est dictus.

2 Leonem Nemeum, quem Luna nutrierat in antro amphistomo atrotum, necavit, cuius pellem pro tegumento habuit.

3 Hydram Lernaean Typhonis filiam cum capitibus nouem ad fontem Lernaean interfecit. haec tantam vim ueneni habuit ut afflatu homines necaret, et si quis eam dormientem transierat, uestigia eius afflabat et maiori cruciatu moriebatur. hanc Minerva monstrante interfecit et exinteravit et eius felle sagittas suas tinxit; itaque quicquid postea sagittis fixerat, mortem non effugiebat, unde postea et ipse periit in Phrygia.

4 aprum Erymanthium occidit.

5 ceruum ferocem in Arcadia cum cornibus aureis uiuum in conspectu Eurysthei regis adduxit.

6 aues Stymphalides in insula Martis, quae emissis pennis suis iaculabantur, sagittis interfecit.

7 Augeae regis stercus bobile uno die purgavit, maiorem partem Ioue adiutore; flumine ammisso totum stercus abluit.

8 taurum cum quo Pasiphae concubuit ex Creta insula Mycenis uiuum adduxit.

9 Diomedem Thraciae regem et equos quattuor eius, qui carne humana uescebantur, cum Abdero famulo interfecit; equorum autem nomina Podargus Lampon Xanthus Dinus.

10 Hippolyten Amazonam, Martis et Otrerae reginae filiam, cui reginae Amazonis balteum detraxit; tum Antiopam captiuam Theseo donauit.

11 Geryonem Chrysaoris filium trimembrem uno telo interfecit.

12 draconem immanem Typhonis filium, qui mala aurea Hesperidum seruare solitus erat, ad montem Atlantem interfecit, et Eurystheo regi mala attulit.

13 canem Cerberum Typhonis filium ab inferis regi in conspectum adduxit.